



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Certa Media adhibenda, ne in vsu harum regularum peccetur. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

iam remetiſſam argue. Tunc vero ſi vitium illud erit in proximo quem corrigere cupis, abſque dubio corripietur & emendabitur agilius, attendendo ſe ita dulciter eſſe reprehenſum.

125. *Septima Regula.* Licet Domino & Superiori non condemnando nec inclinando iudicium ad vnam partem magis, eſſi nihil certi concludat, timere & cautum eſſe, ne decipiatur alter, ne damnum patiatur. Experiencia enim edocti alienorum defectuum, poſſunt præcauere mala, non definiendo eſſe commiſſa, ſed timendo ne ſint. Sicut pauperem domum ingreſſum non licet condemnare vt furem, licet tamen cuſtodire domum, ne ſi forte iſ ſit ingreſſus animo furandi, furetur. Quia de re vide S. Thomam 2.2. q. 60. a. 3. Menochium de præſumptionibus l. 1. q. 7. a. n. 41. Farinacium to. 2. q. 36. num. 172. & 176.

126. *Oſtana Regula.* Tenetur Superior mala deprehendi hoc modo punire, vt emendentur mali, boni vitent. Heli ponitur eſt, quia frigide puniunt filios, & puniunt irremiſſibiliter 1. Reg. 3. 13. 14. vt ſupra oſtenſum eſt.

127. *Nona Regula* his omnibus ſubtilior tradita eſt à Deo S. Catharinæ Senenſis in dial. c. 103. Si quando in oratione videres in vno pro quo rogas, aliquod gratia lumen, & in alio non, non debes nec potes virtuoſe hunc iudicare, quod grani culpa ſubiaceat: quia frequentiffimè huiusmodi iudicium falſum eſt. Multoties enim contingit id non ex defectu ſuo, ſed quia ego ab eius anima me ſubtraxi per ſenſum non per gratiam, prout ego frequenter ago, vt anima perueniat ad perfectionem. Vnde tunc anima non ſentit aliquam dulcedinem & eſt arida, ſterilis, atque poenſa: quam poenam etiam extendere permitto vſque ad animam illius qui orat pro tali. Et hoc ago ex affectu ſua charitate quam habeo ad illam animam qua recipit orationem, vt ille qui me rogat vnâ ſecum adiuet, ad diſſoluendam nubem qua mentem eius obumbrauerat. Itaque vides quantum eſſet arguendus ille, qui iudicare vellet ex iſta ſimplici viſione. Idem repetit c. 105.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ne in uſu harum Regularum erramus, & peccemus temerè iudicando & condemnando alios, hæc ſunt remedia.

128. **P**rimum. Aſſueſcamus etiam res aperte malas non condemnare niſi ad hoc adigat nos obligatio conſcientiæ, vel officij ſuperioratus. P. Petrus Faber vti ſcribit Orlandinus in eius vita lib. 2. cap. 22. Præcipiebat inuitis eorum aliquem vel Societatem, vt ſi quem forte nauum culpamq; grauiorem in eorum quopiam animaduertet, cauere ne non modo lingua, ſed ne mente quidem temere iudicarent, memores illius Chriſti vocis: Homo quis me conſtituit iudicem in uos? ſeſequè identi-

dem ſic admonerent: Quid tu vitam iudicas alienam, cum Præpoſitorum iſtud ſit, non tuum; tuum autem non uſi tuorum eſſe iudicem delictorum: quibus iudicandis ne tu ſatis habebis negotij, ſi nihil tibi indulgere, nihil uolueris aſſentiri. Senecaque uocem illam propoſitam ſemper habueris: Aliis parce, tibi nunquam. Hoc ſua debet B. Macarius hom. 15. non tantum Religioſis; qui perfectiores hac in parte eſſe debent, ſed etiam ſecularibus. Debent, inquit, Chriſtiani per omnia contendere, ne quempiam omnino iudicent, ſue meretricem proſtitutam, ſue peccatores, aut mordinatè uiuentes; ſed ſimplici intentione, & puro oculo omnes ſpectare; ita vt hoc ipſum ſi cuique quaſi naturale & concretum, nec quempiam ſtocci pendat, aut iudicet, neſſe excreetur, aut habeat in aliquo diſcrimine. Quia uero lubrica humana iudicia & linguæ, dum aſſueſcunt deſectari naturæ defectus, facile declinant ad improbandos aliorum mores; ideo ibidem B. Macarius illud quoque cauendum ait: Si monachiſmum ſpectaueris, ne iudices in corde tuo, ſed proinde ac ſi ſanus eſſet illum in uere: mancum aſſice quaſi non mancum; claudum, uelut rectè incedentem; paralyticum uelut ualentem.

Secundum remedium. Si quem cogat iuſtitia vel officij obligatio in aliorum facta inquirere, non ſit præceps, nec facile damnet, ſed prius ſtatum rei benè perſpicat. Noli, inquit S. Ildorus Peluſiota lib. 1. ep. 310. ad Cyrillum Alexandrinum, quem tamen in ea iniuſtè condemnauit, ipſe ſuo monito indigens, noli, inquit uolentis ſententias ſerre, uerum illata crimina iſto & integro iudicio committe. Quandoquidem Deus ipſe qui omnia ſcit antequam oriatur, proſua humanitate deſcendere, ac Sodomorum clamorem perſpicere uoluit, hinc uidelicet nos ad res accurate perſcrutandas ac proferendas erudient. Multum, inquit S. Nazianzenus orat. de moderat. in diſput. ſeruanda, diuque uerſandus eſt animus, atque contrahendus, multa ſerenda, quam vt alium impietatis damnemus. Et nominatim de Superioribus loquens S. Chryſoſt. h. 11. in 1. Cor. oportet, inquit, Doctores & magiſtros iudicare alios, ſed in peccatis manifeſtis, & de quibus conſtat, idque in tempore conuenienti.

Ita fecerunt boni illi Nauæ Ionam demerſuri eſſi conſcium ſceleris non ſtatim demerſerunt, ſed vt ait Rabbi Eleazar, & reſert alios Montanus Comment. in Ionam. Primò, miſerunt ſortem, vt inuenirent ſceleris reum, inuento reo, ſceluſque palam conſciente, non ſtatim deubarunt in mare, ſed conati ſunt ad littus appellere, vt ibi Ionam relinqueret. Quia uero fluctus non permittebat acceſſum nauis ad littus, tunc ligatum demerſerunt in mare, vt uiderent an eius cauſa eſſet illa tempeſtas. Cuique mare quieuiſſet, receperunt eum in nauim, & iterum mari furenti ob eum receptam, eum iterum demerſerunt; ſedato uero ſtatu maris, ruruſus Ionam in nauim retrahunt; ſed com-

tertio turbaretur mare, tertio demittunt ligatum, mari vero tertio quiescente, tunc tandem fune ablato cum multis protestationibus de quaerita eius salute, commiserunt eum vndis, & diuinae providentiae. Sic etiam nobis est faciendum, ne simus praecipites in condemnandis alijs, tunc cum debemus damnare aliorum facta. Hoc quia Moses non fecit, condemnauit temere Aaron & eius filios quod non comeditisset hostiam pro peccato, vt facere ex lege Dei tenebantur: sed postquam intellexit praemortere ob occisos diuinitus duos Aaronis filios id esse omissum, accepit satisfactionem Leuit. 10. v. 17.

430. Etiam vici sancti indigent hoc monito, quia zelus quo feruent, potest illos impellere ad temere condemnanda ea, quae eis vt mala referuntur, ideo non credant facile accusatoribus. Sic S. Ildorus Pelusiota condemnauit S. Cyrillum Alexandrinum graui ad eum scripta admonitione lib. 1. ep. 310. & 370. deceptus Nestorianorum accusationibus, quasi priuatae simulatis impulsu ita infectaretur quosdam Episcopos Ephesi congregatos Nestorio fauente, sicut Theophylus infectabatur S. Chrysostomum. Immo quod peius est, iisdem credens, putauit ad S. Cyrillum Alexandrino credi vnam tantum in Christo fuisse naturam, ideo scribens ad illum lib. 1. epist. 323. ostendit ei ex plurimis S. Athanasij sententis, ex duabus Christum constare naturis. Sed postea agnita S. Cyrilli innocentia lib. 1. ep. 324. eum hortatur, vt petat in sententia sua contra Nestorianos immobilis. Sic etiam S. Cyrillus Alexandrinus noluit ad Ecclesiasticas tabulas nomen Chrysostomi defuncti admittere, & contra id scripsit epistolam longam ad Atticum, quae est apud Nicephorum l. 14. c. 27. Sed & diuina visione, & ad S. Ildoro Pelusiota correctus libr. 1. ep. 370. errorem suum agnouit, & nomen Chrysostomi in Albo cum alijs Episcopis Catholicis posuit, teste Niceph. l. 14. c. 28.

131. Tertium remedium dat S. Chrysostomus to. 4. hom. in Salute Priscam fin. & h. 43. in Matth. Si cupiditate iudicandi iudex esse velis, sed ego tibi ostendam, quae magnum questum tibi conferret, & nulla criminis sordis maculabit. Sedeat mens atque cogitatio tua iudex in animam atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare qua animo commisit, & sedulo rationem exigas & dicas: Quare hoc atq; hoc ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Quod si ab his quidem conscientia tua refugit, aliena vero curio de rimatur, dic ad ipsam: Non ego iudex in alios, nec tu alios defensora iudicium subisti. Quid enim ad te, si hic vel ille male viuat: tu cuius rei gratia hoc atque illud deliquisti: non defende, accusa vitia tua, non aliena. Vide ibidem plura de hoc. Similia docet S. Bonauentura in Reg. Nouit. c. 12. vt dum videmus aliquod malum, inspiciamus nos ipsos, an etiam talia in nobis

sint, vel aequivalentia: & quia plurimum nostrorum malorum conscij sumus, quam alienorum, nostra potius peccata, quam aliena damnemus. Cur obsecro, inquit S. Dorotheus serm. 6. nosmetipsos potius non diiudicamus? cur mala nostra, nostrosque errores, & ea potissimum de quibus rationem reddere Deo debemus, exacte cognoscere non studemus? Cur Dei iudicium nobis usurpamus? quid ad nos de creatura eius? Et infra: Qui salutem assequi optant, minimis proximorum delictis, & erroribus non attendunt, neque ea curiosius inuestigant, sed sua tantum curantes, proficiunt semper: qualis erat ille, qui cum fratrem suum occidisse, ac nescio quid sceleris perpetrasse forte perciperet, ingemiscens dixit: Hei mihi, ille hodie, cras vtique & ego. Similia suadet Seneca l. 7. de benef. Fortasse vitium de quo queris in sinu inuenies, si te diligenter excusseris, vti meritis in tuum ipsius sinum inspuere possis ac debeas. & quoties de alio succurrit improba cogitatio, dices: haec & ipse commisi. Hoc sensu videtur a Domino dictum Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Et Rom. 12. Inexcusabilis es homo qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas, eadem enim agis (vel aequivalentia) qua iudicas.

132. Lib. 3. de Vitis PP. numer. 136. scribit Rufinus Aquileiensis Presbyter. Peracta Congregatione semel in Scithi, dum Patres de mulierum vita, & de rebus plurimis loquerentur, Abbas Prior tacebat. Postea vero egressus, tollens saccum, impleuit eum arena, & portabat in dorso suo; & iterum in alto paruo panno misit alteram arenam, & portabat ante se. Videntes autem ceteri fratres, requisierunt ab eo, quod esset hoc exemplum. Et respondit dicens: Iste saccus, qui habet multam arenam, mea peccata sunt, quamplurima iniquitates meae sunt: & ecce dimisi ea post dorsum meum, nolens illa videre, vt pro illis doleam vel plangam. Et ecce parua haec delicta fratris mei, ante oculos meos posui, & crucior in ipsis condemnans fratrem. Sed non oportet sic iudicare, sed magis ante me adducere, & de ipsis cogitare, & rogare Deum, vt indulgeat mihi. Quod audientes Patres, dixerunt: In veritate haec est via salutis. Quamquam, inquit Chrysostomus hom. 11. in 1. Corinth. etsi quis esset talis qui non peccasset, ne in quidem dignus esset qui vitam aliorum iudicaret: Et quod si Paulus qui sibi nihil est conscius, se dicit esse reum, multo magis qui sibi sunt conscij rerum innumerabilium.

133. Quartum remedium. Discamus omnia in bonam partem interpretari studio quodam peculiari. S. Vincentius Tr. vitae spir. c. 8. ita monet vt dum alios vides errantes in aliquo, compariaris ex corde & ora pro eu, & eos in corde tuo quantum potes excusa: cogitando, quod nec tu potes aliquid, nec ipsi possunt, nisi quantum Christus porrigit manum suam qui non pro meritis tribuit, sed pro sua beneplacito voluntate. Cum S. Paphnutio apparuisset ante mortem Angelus Domini, dicens ad eum: Veniam benedicte, & ingredere ea quae tibi debentur aeterna

terna tabernacula. Ecce enim adsunt Propheeta, qui te in suum suscipiant chorum. Et cum sequenti die quidam Presbyteri ad eum visitandam venissent, omnia eis, quae sibi Dominus reuelauerat, nota fecit, dicens ad eos, nullum in hoc seculo debere despicere, etiamsi latro sit aliquis, aut in scena positus, etiamsi cultum ruris exerceat, & coniugio videatur adstrictus, etiamsi negotiator dicatur, & mercimonis seruiat; tamen in omni ordine humana vita, sunt animae Deo placentes, & habentes actus aliquos occultos, quibus delectatur Deus. Et cum similia de singulis quibusque differisset, tradidit Spiritum. Evidenter autem Presbyteri qui aderant, & omnes fratres viderunt eum ab Angelis suscipi, hymnum canentibus, & collaudantibus Deum. Ita scriptum est in eius vita, descripta in Vitis PP. à nostro P. Heriberto Rosweydo editis libr. 2. pag. 475.

134. Solent enim magni Dei serui & valde magni sancti, ut erat S. Philippus Neri, quaedam non mala, sed indifferentia facere propter Deum, ut habeantur pro hominibus ordinatis, & vilescant in opinione aliorum, nec tamen condemnandi sunt.

135. Ideo qui sunt obnoxii iudiciis temerariis, exequantur consilium Abbatis Pæmenis: Quidam frater requisivit Abbatem Pæmenem, dicens: Quomodo potest homo vitare ne loquatur malum de proximo suo? Respondit Senex: Ego & proximus meus duas imagines sumus: cum ergo meam prospexero, & reprehendero me, inuenitur imago fratris mei apud me venerabilis. Quando autem meam laudauero, tunc fratris mei imaginem prauam respicio. Tunc ergo de alio non detraho, si semper meipsum reprehendo.

136. Et Abbatem Hyperichij qui dixit: Melius est comedere carnes & vinum bibere, quam comedere in vituperatione carnes fratrum. Sicut enim susurrans serpens Euam de paradiso excussit, ita qui de fratre suo detrahit, non suam solum, sed & audientis animam perdit.

137. Et dictum Abbatis Ioannis menti infixum habeamus qui solebat dicere: Paruam Sarcinam dimisimus, id est nos ipsos reprehendere, & granem portare elegimus, id est ut nos iustificemus, & alios condemnemus.

138. Quidam Timotheus anachoreta, negligentem fratrem aliquem audiens, interrogante ipsius Abbate, quid illi fratri faceret, dedit consilium ut eum expelleret de canobio. Cum ergo ille fuisset expulsus, tentatio venit ad Timotheum: & cum ploraret in conspectu Dei, & diceret: Miserere mei, venit ad eum vox dicens: Timothee, ideo tibi hac causa venit, quia fratrem tuum in tempore tentationis tuae despectisti.

139. Quidam frater requisivit Senem, dicens: Quomodo potest anima humilitatem adipisci? Ille respondit: Si sua tantummodo, & non alterius mala consideret.

140. Quidam Senex dixit fratri: Omni die vicinam tibi mortem esse cogita; quasi iam clausus sis in monumento, nihil de hoc seculo cures. Timor Dei ingit per maneat in te, in omni hora. Crede te hominibus

omnibus inferiorem esse. Non detrahas alicui, quia Deus cognoscit omnia; sed esto pacificus cum omnibus, & dabit tibi Dominus requiem semper.

Frater interrogauit Senem: Quomodo venit timor Dei in hominem? Et dixit Senex: Si habet homo humilitatem & paupertatem, & non iudicat alterum, sic venit in eo timor Domini.

Dixit Senex: Vita Monachi haec est opera, obedientia, meditatio, & ut non iudicet, aut non obloquatur, aut non murmuret. Scriptum est enim: Qui diligit Dominum, odite malum. Monachi vita haec est, non ingredi cum iniusto, neque videre oculos sui mala, neque curiose agere, neque scrutari, neque audire aliena: neque manibus rapere, sed magis tribuere, neque superbire corde, neque cogitatione malignari, neque ventrem implere, sed cum discretionem omnia agere. Ecce in his est monachus.

Dixit Senex: Roga Deum, ut det laetum in corde tuo & humilitatem: & respice semper in peccatis tuis, & non iudices alios; sed esto subiectus omnibus, & ne habeas amicitias cum muliere, neque eum patro, neque cum haereticis. Absconde à te fiduciam, & retine linguam tuam & ventrem, & abstine à vino. Et si quis loquitur tecum de quacunque causa, non contendere cum eo. Sed si bene dicit, dic; Etiam, si autem male, dic ei: Tu scis, quod loqueris. Et ne contendas cum eo de his, quae locutus es, & tunc erit mens tua pacifica.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Quid alij Patres antiqui dixerint & fecerint contra iudicia condemnata aliorum.

Extat in Vitis Patrum libro quinto, totus libellus nonus. Auctoris Graeci incerti, interprete Pelagio S.R. Ecclesiae diacono, postea ad Romanum Pontificatum euecto, ut scribit noster Rosweydeus Prolegomeno 14. ad Vitas Patrum, & adducit testem R. P. Georgium Garnesfelt.

Quidam frater peccauerat, & inquit eum presbyter exire de Ecclesia. Surrexit autem Bessarion, & exiit cum eo, dicens: Ego peccator sum.

Frater aliquando in Scribis inuenit est culpabilis, & fecerunt Seniores Conuentum, & miserunt ad Abbatem Moysen, dicens, ut veniret: ille autem venire noluit. Misit autem ad eum presbyter, dicens: Veni, quia plebs fratrum te expectat. Et ille surgens venit. Tollens autem securam sportam vetustissimam, impleuit eam arenam, & post se portauit. Illi vero excurrunt ei obviam, dicens: Quid hoc est, pater? Dixit autem eis Senex: Peccata mea sunt post me currentia, & non video ea, & veni ego hodie iudicare aliena peccata? Illi autem audientes, nihil locuti sunt fratri, sed ignouerunt ei.

Interrogauit Abbas Ioseph Abbatem Pastorem, dicens: